

05

A

849



261.

ANGELO INCREATO

Annunte,

ΑΓΓΕΛΟΓΡΑΦΙΑΝ

EX PNEVMATICA,

IN

CELEBERRIMA ELECTORALI

AD

Albim Academia,

Sub

UMBONE

M. JACOBI ERNESTI *Hergött,*

Wassertrüdingensis Fr.

publicæ Eruditorum censura

submittit

AUTOR & RESP.

LAURENTIUS *Göller/*

Kittingâ-Francus.

In Acroaterio Minori,

D. IX. Maji Anno M. DC. LXIIX.

Horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS HAKEN.



ANGELLO NICREATO
ATTENZIONE
CEREBRUM ELECTORAL
Albin A. ...



OS A 849

M. JACOBI
L. ...
König-...
in ...
Die ...
...
...
...



JOVA JUVA!

Xαλεπὰ τὰ καλὰ, sic fertur Græcorum non minus veri ver-
bium quàm proverbium, quod in rerum roboratur multitu-
dine, sed reliquis omnib. sepositis unica nobis hac vice sufficiat
Ἀγγελολογία, quæ licet ita sit, non tamen statim impossibilis:
cùm insuper mater nobis cum lacte propinaverit sciendi deside-
rium, hinc quamvis ob summam difficultatem hinc non pauci vo-
luerint τὸ εἶπεῖν observare, nobis turpe videtur velle ea i-
gnorare, de quib. tot præclari viri scripserunt, cùm & pluri-
mùm expediat firmam aliquam hac de re habere sententiam in
multis controversiis decidendis. Animus a. non est in campum
exspatiari Theologicum, & ex sacris pandectis disputare contra
Sadducæos, quorum error à sanctis ἀποστολογραφοῖς notatur, qui in
solidum Angelorum rejecerunt existentiam, sed impræsentia-
rum simplici mentis scrutinio hanc in officinâ philosophicâ, nō
quidem pro materiæ dignitate, sed pro ingenii tenuitate, sub di-
putationis incudem revocare.

§. 1.

Cùm verò monitu Romani lepōris *omnis, quæ à ratione susci-*
pitur de aliqua re, institutio debeat à definitione proficisci, ut intel-
ligatur quid sit id, de quo disputetur, l. 1. off. ductum hujusce & nos
sequemur, præmittere tamen placet quæsitum an sit? Si enim
Angelos dari non constat, frustrâ de iisdem erimus solliciti, *si-*
quidem non entis nullæ sunt affectiones. Non defendere veremur
voce & calamo existentiam Angelorum naturaliter scibilem, i-
ta ut ex sacris literis planè nullæ sint expectandæ probationes,
nec tantùm de probatione possibilitatis eorum existentia, sed
de ipsa actualitate & extrasistentia extra causam producentem
disquirere allaborabimus.

§. 2. Nostram verò probationem adducimus à posteriori (à
priori enim illas dari posse negamus & pernegamus, dare eas
qui poterit, magnum illum salutabimus Apollinem) ab effectib.
& operationibus, quas deprehendimus in hominibus obsessis &
arreptitiis, in quib. istiusmodi sæpè conspiciuntur effectus, qui
non Dei neq; animæ hominis sunt, neq; alterius creaturæ, sed so-
lius finiti & completi spiritus, hinc tale nectimus argumentū:
Positō effectū propriō & adequatō, necessariō ponitur causa. At qui po-
sitis

A 2

scis oraculis, prestigiis per obsessos ponitur effectus proprius & adequatus. E. Major apud omnes Philosophos est in confessio, siquidem ex effectibus judicamus de causa, effectus quippe presupponit causam actu existentem. Minor firmiter fuit confirmata per obsessos, quippe qui ut plurimum sunt idiotæ rudissimi, nihilominus callent linguas exoticas, rerumque incognitarum habent cognitionem facultatemque; de rebus differendi abstrusis, audimus blasphemias, cernimus incantamenta, homicidia. Exempla qui desiderat, B. Martini Zeilleri vid. theat, Trag. Hæc verò & similia Deo adscribi nequeunt, quomodo enim Deus diceretur auctor, quorum severus est prohibitor. Sed regerunt nonnulli, istiusmodi operationes esse adscribendas animæ separatæ corpus moventi, cumque eo unitæ. At illos facillimè deducam ad absurdum hoc ratiociniò: *Anima quæ operatur in corpore obsessi cum corpore est unita. At Anima illa est separata.* E. *Quoddam quod à corpore est separatum cum corpore est unitum.* Præmissæ aut pariunt conclusionem absurdissimam, aut μετεμψύχωσις statuminanda, non hoc E. illud, si illud. E. vel major vel minor, non major ut patet. E. minor. Vident ergò istiusmodi subtiles ἀφιλόσοφοι crassam & palpabilem & sex palmos latam contradictionem. Argumentum autem quod pro probatione adduximus, tam firmum esse pronuntiamus, quam valida est demonstratio Logica à posteriori. Possemus quidem plures satisque validas afferre rationes pro existentia Angelorum ex naturæ lumine petitas, quia verò disputationem tantum, non integrum meditamur librum, filum de existentia abrumpimus & rem ipsam aggredimur.

§. 3. Questionem an sit? excipit quæstio quid sit? Ne verò rei neglectus significatæ (non enim hîc de appellatione nominali Angeli præcisè, sed de re significata per nomen Angeli, nimirum de substantia spirituali, intellectuali completâ, ab animâ distinctâ agimus) verborum inducat incertitudinem, evolventa venit ὀνομασλογία, circa quam notamus, nomen ἄγγελος Grammaticè deduci ab ἀγγέλλω, mitto. Ex quo fluit, quod hoc nomen sit officiale non naturale, nomen muneris, non essentia: hinc rectè in Ps. 104. Hipponensis: naturam quæris, spiritus

ritus est. Officium? Angelus est. In lingua Ebræa Angelus vocatur מלאך, quod alii deducunt ex מה לך quid tibi? scilicet vis, hoc novo nuntio: alii ab הלך ivit. ה in א permutato: quod cum ferè coincidit Syr. ܐܢܘܢ non absimili originatione: quod sint ex numero שליחים sive legatorum & mitterendorum personam induant. Rabinis dicuntur שכלים à nom. שכל rad. שכל, quæ in Hiphil significat intellexit, ad indigendam eorum intellectionis excellentiam & præ aliis creaturis eminentiam, seu ut loquuntur, quia Angelicum esse puriorem & abstractiorem intellectualitatis gradum participat. In schola dicuntur Græcanicâ, ἄγγελοι ab officio, πνεύματα ab essentia, δαίμονες à qualitatib. quasi δαήμονες scientes, sapientes. In abstracto nominantur mentes, intelligentiæ.

§. 4. Notandum a. est carbone atro, Intelligentiæ vocem hic loci non accipi (α) in sensu Physicô, pro ipsa potentiâ vel actu intelligendi: neq; (β) in Noologico, pro habitu intellectuali principiorum cognoscendi, sed (γ) in sensu Pnevumatico, quatenus notat substantiam seu mentem separatam, item spiritum dependentem completum seu Angelum. Irritam igitur & nullius ponderis eorum opinionem Angelos vel ad Physicam ut Scribonius, Goclenius, Crusius aliiq; Ramistæ, vel ad Metaphysicâ spectari rejicimus, ad illam qui referunt, supponunt, Angelos esse motores corporum cœlestium cum Arist. l. 8. Phys. vel esse Angelos datores formarum substantialiū, quam sententiam solidam & non solidam fovebat Avicenna. Nonnulli subjectum Physicæ ampliandum esse contendunt, ut dicatur illud substantia naturalis, non corpus naturale, uti somniant Scotistæ. Cùm a. ad horum omnium rationes non requiratur Oedipus, sed sufficiat Davus, de iisdem non erimus solliciti. B. Sperlingius sub initium statim Instit. Phys. qu. 12. p. 24. hanc de Angelis doctrinā deprecatur omnem. *Omittenda, inquit, hæc doctrina est. De Physicæ enim subjecto Angeli neutiquam participant, neq; enim corpora naturalia sunt, neque ullo modo ad ea spectant, unam a. hanc semitam deterit Physicus. Pnevumatici est exercere se in altiori materia, & quid, quales, quotuplices, ac ubi sint spiritus, oratione expedire dilucidâ.*



§. 5. Non parva pars hanc de Intelligentiis doctrinam ad
 Metaphysicam retulit, ad quem glomum sese agglomerarunt
 Svarez, Timplerus, Hornejus, Scheibl., Werembergius, Piccar-
 tus, Ebelius in Colleg. Metaph. Wilhelmus Stratem, in parte
 Metaph. speciali, qui tamen totam eorum quidditatem, affecti-
 ones & proprietates pertexuerunt, non quatenus spiritus consi-
 derantur sub ratione convenientiæ, prout sunt entia, sed pro-
 pria & differentiæ quatenus sunt spiritus, quæ cuncta, quilibet,
 qui saltem unicam horam inspexit Metaphysicam, ex hac tan-
 quam heterogenea & ἀλλότρια eradicare non nescit, cum illius
 universalitas non permittit de entib. particularibus in specie, &
 sub propria notionem, & determinata quidditate pertractare.
 Nullam igitur in Metaph. designamus sedē Spiritibus, sed dici-
 mus aliam adhuc superesse disciplinam, quam nominamus Pnev-
 maticam; cui posteriori etiam assentiuntur sentententiæ & The-
 ologi & Philosophi non infimi subsellii, inprimis nunquam sa-
 tis laudatus Theologus Dn. D. Calov. in Horistica p. 361. D.
 Klozius. B. D. Scharffius, Excell. Dn. Prof. Trentschius in Col-
 leg. Metaph. h. t. Rector Magnificus, & tandem etiam Excell.
 Dn. Michaël Waltherus Superior. Mathem. P. P. in Collegio
 μαθημ. min. tit. Ἀγγελολογία. Stabilimus autem nostram asser-
 tionem sequentib. modis. (1) *Ab objecti formalis diversitate.* Disso-
 nant enim Metaph. & Pnevmatica in objecto formali & adæ-
 quato. Hinc concludimus: *Ubi datur peculiare & à cæteris disci-
 plinarum objectis distinctum, adæquatum formale objectum, ibi peculi-
 ris datur disciplina.* At, *hic datur peculiare.* E. Majorem omnes
 concedunt Philosophantes, & Adversarii quoque illas, quas ad-
 mittunt disciplinas, à distincto objecto stabiliunt. Minorē probo
 ex genuinis objecti disciplinaris requisitis. Argumentum est
 tale: *Ubi datur conceptus unus, certas habens affectiones &
 inferiora, quib. nullā in Disciplinā est principium, nec affectio, nec
 species, ibi etiam peculiare datur disciplinare objectum.* Atqui *hic da-
 tur conceptus talis.* E. Major à definitione procedit ad definitum.
 Minor sigillatim facile confirmatur. Est certè Spiritus conceptus
 unus unitate analogica: certas habens affectiones, ut sunt immuni-
 tas à quantitate, indivisibilitas: habet porrò certa inferiora Spiritum
 nempe infinitum & finitos: neq; in ulla quadam disciplina est
 prin-

principium, quod facile patet (2). *Ex principiorum diversitate.* Principia Metaphisica (materialiter puta) sunt omnium prima, generalissima & notissima omni modo secundum se & quoad nos, ut sunt: impossibile est idem esse ac non esse. Totum majus est sua parte. Pnevumatica verò principia sunt orta, magis specialia, nec omni modo nota, quale est: quæ perfectiones inveniuntur in creaturis, eæ etiam suo modo in Deo inveniuntur. (3) *Ex affectionum diversitate.* Metaphisica affectiones habet generalissimas omni enti, vel simpliciter, ut UNUM VERUM BONUM, vel in sensu disjunctivo, ut finitum & infinitum, convenientes. Pnevumatica verò saltē affectiones habet speciales ad solū spiritū pertinentes, ut sunt intellectualitas, volendi facultas, agendi libertas, illocalitas. Possemus quidem hîc prolixius excurrere, nî pagellarum angustia prohiberet, hæc dicta ergò sufficiant de disciplina.

§. 6. Inluunt jam in crenam Angelorum attributa, quæ præcipuè sunt, *intellectualitas, voluntas, æternitas & ubiætas*, de singulis pauca. Primò autem primas tenet Intellectus, quem Angelo competere nobis tam certum est, quam cum sol supra Horizontem est, diem esse. Ideo dicimus, *Intellectualitatem Angelorum esse potentiam intellectivam, qua Angeli ipsam naturam rerum intimè contuentur, & ea, quæ sunt aut fiunt exactissimè cognoscunt.* Intellectum verò Angelicum differre ab ipsa essentia Angelica vel sola ratione, vel realiter bellum est diuturnum & continuum, cujus prioris turmæ Scotus, posterioris Thomas Dux est, cui & nos nostra damus nomina. Nihil est, quod regerunt Scotistæ, attributa & potentias non esse ab essentia distinctas; verum illos confundere ens ut sic cum ente tali vel tali, quis non videt? De illo quidem rectè defendunt Metaphisici, quod attributa cum ipso à parte rei identificentur; de hoc verò illud non valet simpliciter. Sed hic iterum distingvendum inter ens increatum & inter creatum. Quoad illud rectè dicitur attributa non distingvi ab essentia realiter, non tamen quoad hoc.

§. 7. Tres adducemus rationes magni roboris ad nostram stabiliendam & consolidandam ex Aquin. sententiam 1. parte summæ Theol. quæst. 54. art. 1. Prima est hæc: *Actio est propriè actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantia vel essentia, impossibile a.*
est.

est quod aliquid, quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia ad mixtum, sic, sua actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat: solus autem Deus est actus purus: unde in solo Deo sua substantia est suum esse & suum agere. Quibus ex verbis Aquinatis tale nectimus argumentum contra Scotistas & Nominales: Quodcumque non est sua actualitas, in eo operatio non potest esse idem cum virtute, nedum cum essentia aut substantia. Atqui Angelus non est sua actualitas. E. Major sua luce radiat. Minor prob. quia omne aliud praeter Deum habet aliquid potentialitatis, cui repugnat identificari actualitatem, solus enim Deus purissimus est actus nihil habens admixtum potentialitatis, quod tamen intelligi debet negativè ut sit sensus, solum Deum non perfici per aliquam actualitatem distinctam ab essentia. Secunda ratio Aquinatis ducit ad impossibile. Si intelligere Angeli esset sua substantia, oportet quod intelligere Angeli esset subsistens: intelligere autem subsistens esse non potest nisi unum; sicuti neque aliquid abstractum non potest esse nisi unum; unde unius Angeli substantia non distingueretur neque a substantia Dei, quae est ipsum intelligere subsistens, neque a substantia Angeli alterius. Tertia Aquin. ratio pariter ad absurdum ducit. Si Angelus ipse esset suum intelligere non posset esse gradus in intelligendo perfectius & minus perfecte, cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere.

§. 8. Voluntas Angelorum est attributum internum, juxta quod intelligentia per potentiam appetitivam bonum ab intellectu praecognitum spirituali & libero modo vult & appetit. Voluntatem a. in Intelligentiis dari, apparet inter alia ex eo, quia intellectu sunt praediti, cuius adminiculo cognoscere possunt ea, quae a voluntate appetenda vel fugienda sunt, Quapropter ubi datur intellectus qui cognoscit ea, quae voluntas appetere vel averfari debet ibi necessario quoque concedenda est voluntas. Admodum commodè tractari hic posset voluntas Angelorum, prout initiò fuit libera & indifferens ad bonum & malum, quia autem haec omnia non ad Philosophicam, sed ad Theologicam pertinent cathedram, hanc hujus loci supparo silentii involvemus.

§. 9. Jam labimur ad Aeviternitatem, quippe quae designat Durationem Angelorum finitam, quia duratio ipsorum non est aeternitas.

nititas, quæ soli Deo propria, neq; tēpus ut cūm Biele, statu-
unt Ramæi, tempus enim est affectio corporis naturalis, non
ergo ad spiritum pertinet. Duratio a. Angelorum facilè pro-
batur ex eorundem immutabilitate & indefectibilitate essendi
finali, tum etiam simplicitate. *Quicquid enim ratione suæ essentiæ
intrinsecè est immutabile & simplex, illud etiam habet durationem esse-
di seu perennitatem.* Atqui Angeli sunt tales. E. Convenit autem
eis non simpliciter indefectibilis duratio, nec defectibilis à par-
te post, sed indefectibilis à posteriori, quæ est æviternitas.

§. 10. Notanter a. dicimus durationem finitam, ne ipsis
æternitatem assignemus, quemadmodum Philosophorum supra
citorum quidam non abhorrent, illis ut creaturis per non re-
pugnantiam æternitatem fingere, rationes verò quas loco pro-
bationis afferunt sunt stramineæ, nullius ponderis, nullius mo-
menti & viliores algâ. Dicunt enim non involvere rationes
contradicentes creaturam esse æternam spirituales completâ,
cum nulla sit repugnantia vel à parte creatoris, nulla à parte
creaturæ. Non à parte creatoris cum nihil impediât, quo mi-
nus aliquis sit effectus quando ejus est causa, quod tamen nega-
tur, si observatur idem respectus. Porro dicunt ab æterno vesti-
gium pedis esse in pulvere, si ab æterno pes pulveri fuisset im-
pressus, mira probatio! E. vestigium pedis in pulvere & im-
pressio ipsa pedis pulveri sunt simul, en effectum simul cum cau-
sâ, tempore & natura! Progrediuntur non à parte creaturæ,
quod ostendunt hoc modò. *Quod Deus ab æterno potuit velle,
id ab æterno potuit producere.* Atqui creaturam Deo coæter-
nam Deus ab æterno potuit velle. E. Dicunt quidem sed nul-
lam probant propositionem. Pergunt, *Quod Deus ab æterno
potuit producere, id ab æterno potuit produci.* E. Sed hujus argu-
menti robur facilè emasculat addita limitatio in majori non im-
plicante ἀντιφάσει. Sciant ergo adversarii manifestissimam esse
contradictionem dari creaturam quæ sit ab æterno. Syllogismus
sit talis: *Nullum ens dependens est id, quod esse ab æterno potest.* Atqui
omnis creatura est ens dependens. E. *nulla creatura est id, quod ab
æterno esse potest.* Majorem nemo vel negabit vel negare poterit,
nisi duo entia statuat independentia, contra antiquam Philoso-
phiam.

phiam. Minor procedit ab effectu ad causam, quia omnis effectus præsupponit aliquam causam, id autem quod est ab æterno nullam superiorem agnoscit causam, sed est causa sine causa. Illam igitur æternitatem quam adversa pars per non repugnantiam & tamen per dependentiam angelis attribuit pro vani cerebelli figmento habemus, & illis assignamus ævum quod à parte ante est terminabile, quia habet initium, à parte post tamen est interminabile, quia caret fine. Plura qui de duratione Angelorum desiderat, adeat Mart. Becan. Theol. Scholast. tom. prior. tract. 3. c. 1. quæst. 3. Excell. Dn. Ebelium in Colleg. Publ. Metaph. part. special disp. 6. sect. 2. art. 3. Georg. Mejerum.

§. II. Nunc ultimum restat attributum intrinsecum dispiciendum sc. Alicubitas Angelorum inferens finitam præsentiam determinatam ad certum aliquod πῆ, quod per suam virtutem sibi definiunt, quatenus in majori UBI esse non possunt, quam quod essentiæ finitæ respondet. Alias enim alicubitas seu ubiætas triplex est, qui tres adessendi modi omnem exhaustiunt ubiætatem, ut in Schola sumus edocti Philosophorum. Quarum prima est circumscriptiva, media definitiva, ultima repletiva, primam & ultimam hujus loci non curamus, illam rebus corporeis attribuimus, ultimam vero soli spiritui increato adscribimus, sola igitur media nobis arridet, quippe quæ est alicubitas definitiva. Est autem illa, *quæ ens finitum ita natura sua est alicubi, ut totum sit in determinato quodam spatio, & totum in qualibet spatii parte circa occupationem vel circumscriptionem.* Et hanc assignamus Angelis, qui sibi ipsis certum & determinatum definiunt πῆ ut non sint alibi. Determinatum illud πῆ nominatur non ratione parvitatis seu contractionis, cum sese totos in puncti ἁδύτητα contrahere queant, uti loqui amat *ὡν ἐν ἁλίῳ* Theologus Magnus D. D. Dannh. in colleg. ψυχ. p. m. 20. & subtilitarum Magister Scal. exerc. 359. verum ratione magnitudinis, quia in majori ubi esse nequeunt, quam quod finitæ ipsorum respondet essentiæ. Determinant ergò sibi Ubi Angeli ratione magnitudinis, ita ut non sint immensi seu in omnibus UBI & spatiis, licet fines istius præsentiaæ sint inominati. Sic Angelus qui est Romæ, nõ est Ulmæ, nec qui Wittebergæ, Argentorati, ob incredibilem celeritatẽ & velocitatẽ tamen unisco momentõ adesse

esse quiv, sed Angelum qui Wittebergæ est, ita ibi esse dicimus extra spatii occupationem ut distingvatur à circum scriptiva præsentia, quâ determinato UBI res circum scribitur adeoq; spatium sibi commensurabile occupat, spatium autem occupare dicitur quod ita replet omnes spatii dimensiones, ut juxta se aliud ejus generis ferre non possit. Sic corpus ita occupat locum in quo est, ut ibidem neqveat aliud quoddam corpus vel subtilissimum simul morari ob penetrationis dimensionum impossibilitatem. Longè secius sese habent quæ definitivam postulant præsentiam, cum plures Angeli possint esse in UNO $\omega\delta$ nullam admittentes $\omega\epsilon\pi\gamma\rho\alpha\phi\eta\nu$.

§ 13. De motione Angelorum, quæ Angeli sese ab ubi ad aliud convertunt, & ita ubi variant, varii in varias ab eunt sententias. Nonnulli motionem defendunt physicam, sed illos in arenâ ædificare & $\acute{\upsilon}\delta\omega\rho\ \acute{\upsilon}\omega\epsilon\rho\omega\ \omega\lambda\acute{\eta}\lambda\epsilon\upsilon$, ut viget adagiû Athenœû, inde liquet, quia ad actionem loco motivam proprie dictam in movente requiritur vis loco motiva propriè dicta. Cum a. hæc in Angelos non cadat, quia non sunt in loco, hinc minus rectè ipsis motio vendicatur physica; alii analogicam assignant intelligentiis, quæ sine successione in instanti peragi potest, non secus atq; lumen per aërem transire solet, docente B. Scharffio l. 3. Pnev. c. 4. Est enim in Angelo virtus quædam & potentia realiter distincta ab ipsius substantia, quia definit sibi ubi & præsentiam in spatio & loco ubi voluerit, ut ita moveri possit ab uno ubi ad aliud. Cum quibus eandem & nos inflammas tibiam, siquidem hanc omnium tutissimam esse sententiam affirmamus. Multa quidem hic essent annectenda, quia verò non omnia superiùs promissa sunt explicata, standum est promissis.

§ 13. Progredimur nunc recto tramite ad Angelorum operationes, ut sunt: *Intellectio, votitio, locutio & assumptio corporum*. Operari enim Angelos, ipsorum testantur effectus, sine quibus si essent essentia illorum foret otiosa, imò frustranea foret insignis, quâ gaudent, agendi potentia. *Est igitur operatio Angelorum potentia in actum deductio*. Non a. immediate per essentiam agunt, sed per potentiam superadditam, non quasi haberent organa corporea, verum quatenus admittunt accidentia ab essentia realiter distincta; sicut enim est plantarum vegetare, animalium sentire, ita Angelorum
B 2 intelli-

intelligere. *Intellectio Angelī est operatio interna, quā mediante intellectu rerum naturam & proprietates cognoscit, & quid alicubi verum aut falsum sit, ex actū perspicit.* Et eos bifariam intelligere (1) per revelationē. (2.) per naturā, hoc est quod affirmamus. (2) per revelationem, ad quam mysteriorum nostrae fidei scientiam referimus, nam mysteriorum cognitio est supracaptum naturae finitae, & ex creaturarum vestigiis abstrahi vel capi illa nequeunt. Quod igitur Angeli sciverunt de his mysteriis, id habuerunt ex revelatione. Deinde per naturā intelligunt, res humanas, statum hujus mundi, licet ad cordis humani intima non penetrent, v. Petav. tom. 3. theol. dogm. c. 6. Intelligunt (3) futura non intuitivè, nec omnia sed abstractivè, & quantum ex figuris & conjecturis capere possunt, aut quantum Deus ut judiciorum suorum executorib. manifestavit. Petav. 16. Nam futurorum scientia solius Dei est, Angelos igitur intelligere haecenus nemo nisi qui ἀγγέλων τῆς διαβολῆς laboravit, negare potest.

§ 14. Intellectionem Angelorum excipit volitio eorum, quae est actus internus à voluntate tanquam proximo principio elicitus: circa quam objectum, medium & modus considerari possunt, cujus objectū bonum est, & quidē tm. bonum, sed vel verū l. apparens: itaq; nullus Angelus malū appetit quā tale: Mediū est cognitio & quidē practica, hinc est, ut angelus nihil vel nolit, vel non velit, quā quod iudicium intellectus practici in Angelo volendum vel nolendum vel non volendum esse praescripsit: pariter quando hoc potius vult quam aliud, ideo est, quia hoc potius quam aliud esse volendum intellectus dicitat. Modus est libertas fundata in eo, quod nihil velit Angelus nisi spontè & ex praescripto ac dictamine, rationis. Reliqua quae hinc possent adjici, sicco transibimus pede.

§. 15. Accingimus nos ad Angelorum locutionem, quippe quae valde obscura, res tamen cum ad sit licet modus rei specialis nos lateat, ita ut rectè B. Jac. Martini Disp. 14. contra Becan. §. 90. pag. 317. asserat, quando in modum locutionis Angelicae inquirimus, dubium omnino est, & haud dubiò dubium manet, nam omnia quae de modo isto disputant Scholastici, in certa, intricata, sophistica & vix probabilibus innixa fundamentis sunt, nihilominus paucula de hac balbutire animo decrevimus. Accipimus a, locutionem hinc non abusivè, quatenus

tenus etiam brutis animantibus solet ad scribi, ut quando psittacus dicitur loqui. Nec in sensu Physico, cujus locutio secundum laudatum Sperlingium l. c. p. 29 hoc fit modò: *Primum aër in pulmones inspiratur, hic enim materia est, ut exaudiatur sonus. Deinde pulmonibus per asperam arteriam aër in laryngis rimulam & palatum reverberatur, post idem in palato tanquam utriculo collectus, uvula lingua dentibus & labiis temperandus est. Sed in sensu Pneumatico, in quantum loqui præcisè non est vocem aut sonum linguâ efformare, sed ut habet Thomas p. art. 1. quæst. 107. manifestare alteri mentis conceptus vel ut B. Gerhardus in Angelologia art. 2. puncto 3. th. 13. p. 40. locutio hîc sumitur pro qualicunq; manifestatione, tum conceptus mentis, tum affectus voluntatis voce affectus repurgata. Prolixa verò quoniam nimis foret omnes de locutionis Angelicæ modo adducere sententias; quas doctos deprehendimus fovere viros, hinc unam atq; alteram tantum breviter indicabimus, & nostra deniq; animi sensa explicabimus.*

§. 16. Durandus n. in disp. 11. q. 2. non aliter putavit Angelos inter se miscere sermones, quam in corporibus assumptis, in quibus signa quædam corporalia sibi fingunt, qua sibi ac aliis ad placitum significant illa omnia, de quibus fieri possit sermocinatio, eâ ratione, qua inter homines fit locutio per sonum voce prolatum, per linguam, palatum & dentes præcisum. Aut verò quemadmodum inter *μογιλάλγς* fieri solet per signa corporea & nutus, aut verò etiam, uti fieri consuevit per scripturam, aut picturas, quâ sententiam Rabbini quoq; sovent, vocare eam solent aliàs Mahalê vel Milahim h. e. scripturam Angelicam seu Regulam, quam peculiaribus expressit characteribus Thom. Becanus Coel. Orient. p. 138. Nos hanc sententiam Durandi atq; Rabbînorum ut falsam, rejicimus, quemadmodum enim natura Angelorum ita est constituta, ut non dependeat à corpore, ita quoq; loquelam à membris & per membra corporea non dependentem habebit. Nec etiam fieri potest hæc loquela per signa aut scripturam peculiaribus literis constantem, aliàs locutio non spiritualis sed corporea foret, quæ omnia naturæ spiritus, quatenus talis repugnant, consequenter per signa hæc locutio non instituitur, si igitur signa quædam admittere deberemus, tum illa spiritualia censeré & ego incorporea.

in intellectu Angeli loquentis expressa, ad similitudinem rerum materialium.

§. 17. Nostram nunc adjicimus sententiam, præmittentes illud Augustini, quod habet in *Enchirid.* c. 59. *nec sciri nec affirmari potest, quâ nam ratione Angeli vel ad aurem forinsecus vel ad animum hominis intus loquantur.* Non vero timentes hoc, statim inamus conceptum exhibere modum locutionis Angelicæ, quis a. modus hic specialis? Promittimus nos tandem aliquando in Academia Urania satis doctè esse responsuros. Contenti ergo sumus in hac mortalitate modò generali; qui consistit in peculiari & spiritali internorum conceptuum liberè factâ manifestatione seu notificatione. Objectum cui loquuntur Angeli sunt Deus, Intelligentiæ aliæ & homines; Non uno ad omnes modò, sed aliter cum Deo loquuntur Intelligentiæ, uti probabiliter illud explicatur, cogitationes suas & desideria ad Deum dirigendo, non quidem ut ei evadant nota, ecquid enim Deum lateret omniscium? Verùm ut aliquid vel à Deo impetrent, vel illum collaudent, vel sanctitatem & Majestatem ejus admirentur. Ad Angelos loquitur Angelus actum mentis interiorum ut occultum quid manifestando. Homini- bus loquuntur Angeli vel intus in eorum animo dicendo aliquid, quod B. Gerardo placet in *Angelologia*, vel quando formam assumpsere humanam, vocem & loquelam hominis articulatè imitando, quemadmodum illud ex sacris pandectis à Theologis demonstratur.


§. 18. Sub finem annectimus etiam Angelorum assumptionem corporum, illos enim sapissimè in forma apparuisse corporea, nemo nescit, nisi qui nihil scit, destituti autem cum sint naturâ corporeâ, corpora assumpsisse quis ibit inficias? Testatur id præter paginam Sacram experientia, Dæmones interdum movisse cadavera, ut auctor est Camerarius in *op. subcis.* p. 199. & Bodin. *Dæmon.* p. 104. quam assumptionem dicimus esse operationem Angelorum externam, qua illi nonnunquam sub specie visibili apparent in corpore accidentaliter sibi unito, non hypostaticè, cujusmodi unio est inseparabilis, non perichoristicè, quia non informant corpora, sed parachoristicè & assistivè, quæ assistentia consistit in duobus, (1) in motu (non tamen vitali) movent ut
moto-

motores (2) in representatione Angeli à corporibus istis tanquã suis quoddammodo representantur, quã ratione autem fiat, vari- aut auctores; alii volunt illos assumere cadaver recens hominis de- functi, uti Beanus & apud ipsum ex Scholasticis alii, cum quibus consentit Adrianus Heerebord. l. c. p. 60. sed hanc suo modò sen- tentiam nos improbamus, dicentes quod sæpè hominibus in illo- rum defunctorum corporib. sunt visa, quæ jamdudum absumpsit corruptio.

S. 19. Magis proinde arridet illorum sententia, qui corpora ab Angelis volunt assumi formata ex aere condensato, admittã ad colorum varietatem aquã, vel ex vaporibus, quæ vera quidem non habeant vitalia membra, externam tamen membrorum referãt speciem. Licet enim aer in sua manens varietate, nec figuram ha- beat, nec colorem, quando tamen condensatur, & figurari po- test & colorari, ut ex nubibus videre est. His ita præmissis Angelor- um naturam non esse corpoream, consequenter & ipsis denega- mus generativam, ducti hac ratione, quia generatio requi- rit organa corporea generationi apta & congrua. Exultat enim huc loci generatio eminens. Deinde partim ex librò scripturæ, partim ex librò naturæ patet, quatuor esse modos, quibus fiunt homines (1) ex nihilo, (2) ex virò & muliere (3) ex viro sine muliere. (4) ex muliere sine viro: Nullus horum potest adscri- bi Angelis, siquidem tres sunt solius virtutis infinitæ, unus est na- turalis, qui competit solis rebus corporeis ceu subjectis ad generã- dum idoneis. Licet nonnulli patres tribuant Angelis corpora, Cy- rill. D. Ambros. c. 2. l. 3. de fide. Damas. de fide orthod. c. 4. sciendum inde est, hoc fieri in sensu Catachistico & minus proprio, quia tri- na diu. ensio ab illis omninò est aliena. Notæ etiam sunt aliorum rationes, Angelos gratiã non naturã esse immortales, quorum au- tem mentem corrigere jam non habemus. Nonnulli mortales & immortales esse dicunt, ut satis ineptè ineptit *Jacobus Chynaus ab Arnage Scorus in Analyfi & Scholiis in XIV. lib. Arist. de prima seu divi- na Philos. p. 367.* Explicat quidem ibidem sui sensu animi, sed ita, ut vix possit salvari, dicit comparatione ad infinitam Dei virtutẽ, quæ omnia in nihilum redigere valeat, dici Angelos mortales. Ast nos non incommodè distingvimus inter τὸ annihilabile & morta-
le, af-

le, afferentes Angelos esse quidem annihilabiles, minus rectè verò
mortales, quia ipsis intrinsecus non competit princi-
pium corruptivum & destructivum.

Tantum per Dei gratiam.



Madrigal.

Ein hoher Geist sich nach dem Himmel schwin-
get

Zu Gottes schnellen Feuer-Flammen.


Was Wunder? Daß ein schwacher Mensch
Durch große Mühe sich zum Himmel dringet.

Bloß Gottes Liebe diß zu wege bracht /

Als der auch Dich einmahl zu seinem Engel
macht.

Seinem Vielgeehrten Hrn. Eöller
verfertigt

Johann-Michael Hornung/
von Gunkelshausen aus
Franken.



05 A 849

ULB Halle
003 768 147


3



1009







291.
ANGELO INCREATO
Annunte,
ΑΓΓΕΛΟΓΡΑΦΙΑΝ

EX PNEVMATICA,
IN
CELEBERRIMA ELECTORALI
AD
Albim Academia,

Sub
UMBONE
M. JACOBI ERNESTI *Hergött.*
Wassertrüdingensis Fr.
publicæ Eruditorum censuræ
submittit

AUTOR & RESP.
LAURENTIUS *Göller*/
Kittingâ-Francus.

In Acroaterio Minori,
D. IX. Maji Anno M. DC. LXIIX.
Horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ,
Literis JOHANNIS HAKEN.